

habere? Quomodo sapiens, qui Deum suum non timet? Initium enim sapientiae, timor Domini.¹⁾ Et alibi habes: sapientes non declinant de ore Domini, sed tractant in confessionibus suis.²⁾ Simul quoque dicente Scriptura: Reputatum est ei ad justitiam, alterius virtutis ei gratiam detulit. Primum igitur nostri definierunt prudentiam in veri consistere cognitione. Quis enim illorum ante Abraham, David, Salomonem? Deinde justitiam spectare ad societatem generis humani. Denique David ait: Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in aeternum. Justus miseretur, justus commodat.³⁾ Sapienti et justo totus mundus divitiarum est. Justus communia pro suis habet, sua pro communibus. Justus se ipsum, priusquam alios, accusat. Ille enim justus, qui nec sibi parcit, et occulta sua latere non patitur. Vide, quam justus Abraham. In senectute suscepit filium per repromissionem, reposcenti Domino negandum ad sacrificium (quamvis unicum) non putavit.⁴⁾ Adverte hic omnes virtutes quatuor in uno facto. Fuit sapientiae, Deo credere, nec filii gratiam anteferre auctoris praecepto: fuit justitiae, acceptum reddere: fuit fortitudinis, appetitum ratione cohibere. Ducebat hostiam pater, interrogabat filius, tentabatur affectus patrius, sed non vincebatur. Repetebat filius appellationem paternam, compungebat paterna viscera, sed non minuebat devotionem. Accedit et quarta virtus, temperantia. Tenebat justus et pietatis modum, et executionis ordinem. Denique dum sacrificio necessaria vehit, dum ignem adolet, dum filium ligat, dum gladium educit, hoc immolandi ordine meruit, ut filium reservaret. Quid sapientius sancto Jacob, qui Deum vidit facie ad faciem, et meruit benedictionem?⁵⁾ Quid justius, qui ea, quae acquisierat, oblatis muneribus cum fratre divisit? Quid fortius, qui cum Deo luctatus est? Quid modestius, qui modestiam ita et locis et temporibus deferebat, ut filiae

1) Ps. 110. 2) Prov. 24. 3) Ps. 111. 4) Gen. 22. 5) Jd. 32.